



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

SS. Zenobius Et Zenobia. 30. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

680 VITÆ SANCTORUM. 30. Octob.
Hæc recordatio magna tibi debet esse in-
fructio : quoniam pro magno diligi non de-
bet , quidquid fine concluditur. Illa peten-
da , illa summa pere diligenda sunt , que nec
inventa transeunt , nec adepta deficiunt.
S. Greg. l. 7. Regist. c. 54.

SS. ZENOBIUS ET ZENOBIA.
30. Octobris.

ADeste heredipetæ filii , & delapidare
(neque enim hoc jam vetabimus) pa-
trimonia vestra à Z E N O B I O nostro di-
cite. Iste ubi hereditatem paternam a-
diit , totam hanc in pauperes & ægros
intra non multos dies effudit. Quid fron-
tem contrahitis tam subito avari? an re-
ctius poterat sua locare quām cælo , quo,
quidquid accipiunt , fidæ pauperum ma-
nus ferunt? Sed & viventis etiannum
manum munificam remunerare Deo pla-
cuit , quando arte medicandi tantâ im-
buit , ut vel ad tactum ejus omnes passim
morbi fugerent , ac deinde in patriâ urbe
Ægis pontificali pedo , palmâ denique
gloriosâ ornavit. Hanc ille scilicet Lysias
Proconsuli inter omnia tormenta victor
extorsit. Et fortè ab equuleo pendens
cassas tyranni minas despiciebat , cum
Z E N O B I I etiam soror Z E N O B I A ac-
currit , & vero ex eodem tam forti san-
guine se prognatam jactitans sociam ger-
mano se junxit. Lysias utrumque in fer-
reum

31. Octob. VITÆ SANCTORUM. 681
reum lectum injici & subjici ignem ius-
fit. Sed hunc cælum mitiore rore facilè
temperavit. In fornacem succensam post
hæc abjecti iterum flamas triumpha-
runt, Superis acclamantibus, & certos
esse beatitatis jubentibus. Meruere ergo
laurum, quâ ut coronarentur, capita se-
curi submiserunt. Ex Metaphr.

*Ante nos est Christus, ante nos bravium
eius: ad hunc dirige oculos tuos, averte
a spectaculis, averte ab omni sæculari pom-
pa: serua eos, ut erigas melioribus: erige
ad cælum; specta mare, terram circumspic-
ce, ut opere facta dirvino omnis creatura te
pascat. S. Ambros. in Psal. 118.*

S. WOLFGANGUS EPISC.

31. Octobris.

STELLAM parturire sibi mater WOLFGANGI videbatur. Non fefellit WOLFGANGUM peperit, sidus, à quo omnis Bojaria illustrem se fatetur. Natalium splendori jam inde à puero majorem lucem à bonis artibus, maximam deinde à virtute accedit. Hæc cum inter Herciniæ silvæ Ascetas aliquamdiu latuisset, suis tandem se radiis prodidit, & prælucere Bojis Ratisponæ jussa est. Agnovere in Præsule suo vitæ magistrum omnium ordinum homines. Virgines præcipue Deo dicatæ, quas ille à vitæ, ad quam nunc etiam pronum est defi-

VU 5

cere,